



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

8 Vtrum religio solitariorum sit præferenda religioni in societate
uiuentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72772)

author in litera dicit magnam diuinitatem sollicitudo impedit: sed ut uel hospitalitas uacant, aut patres pauperum sint, diuinitur in supernas ex-pensas, ita ut impleatur uerbum Hieronymi, qd spirat eos ecclesia diuites. Sat eis esse debet, qd habeat res necessariae ut pauperes Christi tam in uitu quam in habitatio. id est, reliqua pauperibus erogant, ut gaudeat ecclesia eorum diuitijs. Non est enim rationale tot ad ecclesiastica collegia donatas diuitias, nisi quia bene ueban tur illis, & no ad delicias, aut pompam, ut hodie a multis figri uidetur arbitran-tibus osequi se praestare Deo in humiliori simplicitate.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum perfectior sit religio in societate uiuentium, quam agentium solitariam uitam.

A DOCTAVM sic pceditur. Videtur, quod perfectior sit religio in societate uiuentium, quam agentium solitariam uitam. Dicitur enim Eccl. 4. Melius est duos esse simul, quam unum.

C habent enim emolumentum societatis suae. Igitur uidetur perfectior esse religio in societate uiuentium. ¶ 2 Præter. Matthæi 18. dicitur. Vbi fuerint duo, uel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum: sed nihil potest esse melius quam Christi societas. ergo uidetur quod uiuere in congregatione sit melius, quam duere solitariam uitam.

¶ 3 Præter. Inter alia religionis uota uotum obedientiae excellens est, & humilitas est maxime Deo accepta: sed obedientia & humilitas magis obsequantur in conuersatione, quam in solitudine. dicit enim Hieron. in epistola ad Rusticum monachum. ¶ In solitudine cito surrepit superbia, dormit quando uoluerit, facit quod uoluerit. Econtrario autem ipse docet eum, qui in societate uiuit dicens. Non facias quod uis, comedas quod iuberis, habetas quantum acceperis, subijcietis cui non uis, seruias fratribus, præpositum monasterij timeas ut Deum, diligas ut parentem. ergo uidetur quod religio in societate uiuentium sit perfectior ea, quae solitariam uitam agit.

¶ 4 Præter. Dominus dicit Lucae 11. Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed illi qui solitariam uitam agunt, uidentur esse in abscondito positi, nihil utilitatis hominibus afferentes. ergo uidetur quod eorum religio non sit perfectior.

¶ 5 Præter. Id quod est secundum naturam hominis, uidetur ad perfectionem uirtutis pertinere: sed homo est naturaliter animal sociale, ut Philosophi dicit in 1. politic. ¶ ergo uidetur quod agere solitariam uitam non sit perfectius, quam agere uitam socialem.

A SED CONTRA est, qd Augu. in lib. de operibus monachorum, ¶ illos sanctiores esse dicit, qui a conspectu hominum separati, nulli ad se præbent accessum, uiuentes in magna intentione orationum.

RESPON. Dicendū, qd solitudo, sicut & ipsa paupertas, non est ipsa essentia perfectionis, sed perfectionis instrumentum. Vnde & in collationibus patrum dicit Abbas Moyses, * qd pro puritate cordis solitudo sectanda est, sicut & ieiunia, & alia huiusmodi. Manifestum est autem qd solitudo non est instrumentum congruuntationi, sed contemplationi, secundum illud Osee 2. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. Vnde non congruit religionibus, quae sunt ordinate ad opera uitae actiuae siue corporalia, siue spiritualia, nisi forte ad tempus exemplo Christi, qui ut dicitur Lucae 6. exiit in montem solus orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Cōpetit autem religionibus quae sunt ad contemplationem ordinate. Considerandum est tamen qd id, quod est solitarium, debet esse sibi per se sufficiens. Hoc autem est cui nihil deest, quod pertinet ad rationem perfecti: & ideo solitudo competit cōtemplanti, qui iam ad perfectum peruenit, quod quidem contingit dupliciter. Vno modo, ex solo diuino munere, sicut patet de Ioan. Baptista, qui fuit repletus Spiritu sancto adhuc ex utero matris suae. Vnde cū adhuc puer esset, erat in desertis, ut dicitur Lucae 1. Alio modo, per exercitium uirtuosi actus, secundum illud ad Hebr. 5. Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. Ad exercitium autem huiusmodi inuatur homo ex aliorum societate dupliciter. Vno modo, quantum ad intellectum, ut instruat in his quae sunt contemplanda. Vnde Hieron. dicit ad Rusticum monachum. * Mihi placeat ut habeas sacrum cōtubernium, nec ipse te doceas. Secundo, quantum ad affectum, ut scilicet noxia affectiones hominis reprimentur exemplo & correptione aliorum: quia ut dicit Greg. 30. moral. ¶ super illud, Cui dedi in solitudine domum. Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? ideo uita socialis necessaria est ad exercitium perfectionis. Solitudo autē competit iā perfectis: unde Hieron. dicit ad Rusticum monachum, * Solitariam uitam comprehendimus minime, quippe quam saepe laudauimus: sed de nido monasteriorum huiusmodi uolumus egredi milites, quos exercim rudimenta dura non terreat, qui specimen conuersionis suae multo tempore didicerunt. Sicut ergo id quod iam perfectum est, praeminet ei quod ad perfectionem exercetur, ita uita solitariorum si debite assumatur, praeminet uitae sociali. Si autem absque precedenti exercitio talis uita assumatur, est periculosissima, nisi per diuinam gratiam suppleatur, quod in alijs per exercitium acquirunt, sicut patet de beatis Antonio & Benedicto.

B AD PRIMUM ergo dicendum, quod Salomon ostendit melius esse quod sint duo simul, quam unus, propter auxilium quod unus habet ab alio uel ad subleuandum, uel fouendum, uel spiritualiter calefaciendum, quo quidem auxilio iam non indigent qui sunt perfectionem assecuti.

AD SECUNDUM dicendū, quod dicitur 1. Ioan. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Sicut ergo Christus est in medio eorum, qui sibi inuicem per dilectionem proximi sociantur: ita habitat in corde eius, qui diuinae contemplationi insistit per dilectionem Dei.

AD TERTIUM dicendū, qd actu obedire est necessarium

Ca. 23. a me. dio illius to mo 3.

In collatio ne 1. c. 7. in princ.

Non multū remote ante medium tom. 1.

Lib. 30. c. 23. non remote a fine.

De uiuendi forma, ante mediū to. 1.

rium his qui indigent exerceri secundum directionem aliorum ad perfectionem capiendam: sed illi qui iam perfecti sunt, spiritu Dei sufficienter aguntur, ut non indigeant actu alijs obedire. Habent tamen obedientiam in preparatione animi.

Lib. 19. c. 19. a med. co. 5.

Mod. lib. & cap.

Ca. 3. paulo a principio, tom. 1.

AD QUARTVM dicendum, quod sicut August. dicit in 19. de ciuita. Dei: * A studio cognoscendae ueritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium. Quod autem aliquis super candelabrum ponatur, non pertinet ad ipsum, sed ad eius superiores. Quae sarcina si non imponatur, ut Aug. ibidem subdit, * contemplandae ueritati uacandū est, ad quam plurimum ualet solitudo. Et tamen illi qui solitariam uitam agunt, multum utiles sunt generi humano. Vnde August. dicit in lib. de moribus Ecclesiae: * de his loquens, Pane solo, qui eis per certa interualla temporum affertur, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfructes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt. Videntur autem nonnullis res humanas plusquam oportet deseruisse, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus proficit, & uita ad exemplum, quorum corpora uidere non sinimur.

AD QUINTVM dicendum, quod homo potest solitarius uiuere dupliciter. Vno modo, quasi societatem humanam non ferens propter animi fauitiam, & hoc est bestiale. Alio modo per hoc, quod totaliter diuinis rebus inhæret: & hoc est supra hominem, & ideo Philoso. dicit in 1. politico. quod ille qui alijs non communicat, est bestia, aut Deus, id est, diuinus uir.

Super Quaestionibus ultimae Aristotelum primum.

QVAESTIO CLXXXIX.

De religionis ingressu, in decem articulos diuisa.

IN artic. 1. q. vlt. collige quatuor interuenire in declaratione, quae sit in ligera, scilicet occasiones peccandi, impedimenta perfectae charitatis, charitas, & perfectio charitatis, quae distributa ita sunt, ut charitati opponantur occasiones peccandi, & perfectioni charitatis impedimenta perfectae charitatis. Quibus collectis adiunge quintum, scilicet affectum hominis ad terrena, & perspicere, quia affectus hominis ad terrena, utriusque mali est pater, scilicet & occasionum peccandi, & impedimentorum perfectae charitatis, merito religionis status qui affectu hominis a terrenis tollit, contra utrumque malum apponitur in remedium. Et quia primum malum pertinet contra praecipua, secundum, contra consilia: ideo religionis status medicina optima est & ad obseruandum praecipua & consilia, & non

DEINDE considerandū est de ingressu religionis. Et circa hoc quaruntur decem.

- ¶ Primo, Vtrum illi qui non sunt exercitati in obseruatione praecipuorum, debeant ingredi religionem.
- ¶ Secundo, Vtrum liceat aliquos noto obligari ad religionis ingressum.
- ¶ Tertio, Vtrum illi qui uoto obligantur ad religionis ingressum, teneantur uotum implere.
- ¶ Quarto, Vtrum illi qui uouent religionem intrare, teneantur ibi perpetuo remanere.
- ¶ Quinto, Vtrum pueri, sint recipiendi in religione.
- ¶ Sexto, Vtrum propter parentum obsequium aliqui debeant retrahi a religionis ingressu.
- ¶ Septimo, Vtrum presbyteri curati, uel archidiaconi possint ad religionem transire.
- ¶ Octauo, Vtrum de una religione possit aliquis transire ad aliam.
- ¶ Nono, Vtrum aliquis debeat alios inducere ad religionis ingressum.
- ¶ Decimo, Vtrum requiratur ma-

gnadeliberatio cum consanguineis & amicis ad religionis ingressum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum illi, qui non sunt in praecipuis exercitijs, debeant ingredi religionem.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod non debeat religionem ingredi, nisi illi qui sunt in praecipuis exercitijs. Dominus enim consilium perfectionis dedit adolecenti, qui dixerat se praecipua ad iuuentute seruasse: sed a Christo sumptum initium omnis religio. ergo uidetur quod non sint ad religionem admittendi, nisi qui sunt in praecipuis exercitijs.

¶ 2 Præ. Gregorius dicit super Ezech. * Nemo repente fit summus: sed in bona conuersatione a minimis quis inchoat, ut ad magna ueniat: sed magna sunt consilia quae pertinent ad perfectionem uitae, minora autem praecipua sunt quae pertinent ad communem iustitiam. ergo uidetur quod non debeat aliqui ad obseruationem consiliorum religionem intrare, nisi prius fuerint in praecipuis exercitijs.

¶ 3 Præ. Sicut ordines sacri habent quandam excellentiam in Ecclesia, ita & religionis status: sed sicut Gregorius scribit Anglorum episcopo, * & habetur in Decretis dist. 48. Ordinate ad ordines accedendum est. Nam casum appetit, qui & summi loci fastigium postpositis gradibus per abrupta querit ascensum. Scimus enim quod adificati panetes non prius tignorum pondus accipiunt, nisi a nouitatis suae humore siccat, ne si ante potera quam solidentur, accipiant, cum etiam simul fabricam deponant. ergo uidetur quod non debeat aliqui ad religionem transire, nisi in praecipuis sint exercitati.

¶ 4 Præ. Sup illud psalmi, Sicut ablactatus super matrem suam. dicit glossa. † In utero matris Ecclesiae, primo concipimur, dum fide rudimur instrui: deinde in luce educimur, dum per baptismum regeneramur: deinde quasi manibus Ecclesiae portamur, & lacte nutritur, cum post baptismum bonis operibus informamur, & lacte spiritualis doctrinae nutrimur perficendo, donec iam gradum seculi a lacte matris accedamus ad melleam patris, id est simplicem doctrinam ubi predicatur. Verbum caro factum est, accedamus ad Verbum